



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Hierakosophion

Demetrius <Pepagomenus>

Lvtetiae, 1612

lxxxix. Ad tabescentem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12846

Ad tabescentem.

COLVMBÆ acetum potui detur, eius os ligetur, ne reijciat acetum: appensa habeatur, vsque dum ipsius caro dissoluta fuerit: deinde accipitri præbeatur.

Aduersus omnem morbum accipitris.

SINAPIS & coaguli lactis filiquam cum carnibus dato accipitri, isque in multas horas iuxta aquas maneat, finito: vngito eius nares, vt per nares attrahat vim medicinæ.

Quomodo pinguem accipitrem, & venandi negligentem extenuari, & cupidum aucupandi reddere conueniat.

IS qui nimio cibo & delitiis supra modum pinguescit, ob idque aucupari negligit, ita extenuandus, & ad venandi studium restituendus est. Testudo aquatilis illius cibaturi semel die aut bis danda, vsque dum eius carnes luxuriantes ad mediocritatem redierint. Cibi etiam inopia, quæ plena sunt, exinaniri ipsa medicinæ ars præcipit. Sunt, qui dent pulegij & allij æquales partes vna contusas cum carne bubula, itaque cito reddunt graciles.